

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0181

0179

0185

0175

0190

0170

0230

0130

0280

0080

0680

170

manus Christianorum deveniat, et Jerusalem diutius captiva non stabit.

In eadem regione est civitas, dicta Ariopolis, quae et Petra vel Petraea dicitur, quae fuit olim metropolis totius Arabiae. Non longe ab hac civitate est alia civitas munitissima, dicta Rabath. Ante hanc civitatem occubuit Urias Ethaeus, procurante David. Et cum jam capienda esset, venit David et cepit illam, tulitque diadema de capite Melchon, regis Rabath, in quo erant gemmae pretiosae et auri talentum, quod conflavit David, et fecit ex eo sibi diadema, in medio gemmarum statuens sardonice incomparabilem, et imposuit capiti suo. De his habetur 2. Reg. II. et 1. Parat. 20. Post regiones praedictas super littus maris mortui est desertum Idumaeae, per quod est transitus a terra Israel ad terram Moab et Ammon, circumeundo mare mortuum, et est solitudo sterilis et inaquosa, in quo periclitati sunt propter aquae defectum tres reges cum exercitibus suis, quibus Dominus miraculose providit de aqua, ut habetur 4. Reg. 3. Et habita aqua cum in terram Moab venissent, eam nimis crudeliter vastaverunt, ut ibidem dicitur. Ab his locis visum reduximus sursum, et intra Jordanem et mare mortuum vidimus locum, dictum Bethagla, in quo filii Israel fecerunt planctum magnum super corpus Jacob patriarchae, defuncti patris sui, quod de Aegypto transtulerant, ut illud sepelirent in Ebron, in spelunca duplici, ut dicitur Genes. ultimo. Bethaglam nominat Jeronymus de distantibus locorum Areaat, distatque una leuca a Jordane, et fuit ibi, parum ante nostra tempora, monasterium Cologerorum, monachorum graecorum. Insuper vidimus in eadem regione civitatem Agrippae, quam nominant Pellam, L. II. Eccles. Hist. c. III. Ad hanc civitatem emigravit ecclesia sancta a Jerusalem, praemonita a Spiritu sancto capere fugam ante Titi et Vespasiani obsidionem, ne interesset tantis calamitatibus. Prope ibidem est trans Jordanem alia Bethania, ubi Johannes primum baptizavit, in qua morabatur Dominus Jesus, a Judaea fugiens, ut habetur Joh. IV. Nonnulli affirmant, quod Ephraim civitas, in quam etiam transfugit Dominus cum discipulis suis, ut habetur Joh. XI., sita sit trans Jordanem prope desertum. Communiter enim passi tribulationes transfugerunt ultra Jordanem de Judaea, ut

Ende

Anfang